

Ar. 527,

B. In. T.

II n  
9097

MEMORIA  
FRIDERICI  
JOSEPHI GVILIELMI  
SCHROEDERI

MEDICINAE DOCTORIS ET PROFESSORIS PVBLICI  
ORDINARIII IN ACADEMIA MARBVRGENSI.

IVSSV ACADEMIAE MARBVRGENSIS

SCRIPSIT

MICH. CONR. CVRTIVS

SERENISS. HASS, LANDGR. A CONSIL. HISTOR. ELOQ. ET POES.  
P. P. O.



---

MARBURGI  
TYPIS JOANNIS BAYRHOFFERI MDCCLXXVIII.

1774

1774

MEMORIA  
FRIDERICI  
JOSEPHI GALLIANI  
SCHNORRERI

MEMORIA FRIDERICI JOSEPHI GALLIANI  
SCHNORRERI  
MAGISTRI PH.D. IN THEOLOGIA  
ET  
MAGISTRI PH.D. IN PHILOSOPHIA  
ET  
MAGISTRI PH.D. IN JURE  
A  
MAGISTRI PH.D. IN THEOLOGIA  
ET  
MAGISTRI PH.D. IN PHILOSOPHIA  
ET  
MAGISTRI PH.D. IN JURE  
A  
MAGISTRI PH.D. IN THEOLOGIA  
ET  
MAGISTRI PH.D. IN PHILOSOPHIA  
ET  
MAGISTRI PH.D. IN JURE  
A





Naturali quodam bono vel malo insita est humanis mentibus ad imitationem quam cunque propensio ac cupiditas inexplebilis, se suaque omnia ad aliorum similitudinem componendi. Patent manifesta eius vestigia in capiendis agendisque gestibus, in vestium genere, coloribus ac forma, in vniuersa viuendi ratione moribusue, ipsoque pulchritudinis sensu, ac quem vocant, gustu, in indole denique atque habitu



studiorum quorumuis. Peperit a tot faeculis, et in omne, quod cogitando metimur, humani temporis spatium, est paritura actiones bonas prauasque imitatio, quarum haud infeas numerum. Scriptorum in primis scaturigo est feracissima, quorum pars longa maxima ex surreptis clanculum laciniis contexitur: in retractanda ea materia, quam alii sibi sumferant, laborant, inuita haud raro Minerua, auctores bene multi: clarorum scriptorum imaginem vt in libris suis effingant et exacte repraesentent, enixam operam dant alii: quodsi fortasse, vel merito suo, vel fato quodam inexplicabili, librum quendam magna prosequitur fama et immodici plausus excipiunt, qualescunque istius et veneres et naeuos ad amusim vt expriment sudant angunturque innumeri, adeo vt omnes, qui isto temporis interuallo prodeunt, libri eadem forma percussi videantur. Optimus quisque denique egregia cogitata veterum recentiorumue crebra lectione in succum quasi vertit et sua reddit, vt non cogitanti surrepant aliena. Haec non eum in finem dicta quisquam suspicetur, vt ab omni imitatione deducam animos: a seruilis tantum et inepta abstinere iubeo, quae omnibus elati animi conatibus obstat, mentisque praestinguit aciem. Exstant enim ingenii ac doctrinae summorum virorum monumenta aeterna, referta sapientiae thesauris immensis, humano generi diuini Numinis beneficio ad id proposita, vt in rem suam iis vtantur posteris. Imitandis, exprimendis, ornandis maiorum exemplis magnam celebritatem et ipsi consequuti sunt et digni aliorum imitatione euaserunt VIRGILIUS, HORATIUS, PVFENDORFIVS, WOLFIVS, HALLERVS alique aeterni nominis viri.

virī. Nihilō tamen minus haudquaquam defraudandi sunt laude sua, sed egregie inferuiunt reipublicae litterariae commodis, qui sibi ingenio suo ac iudicii acumini cuncta debitori nullius sequenda arbitrantur praecepta, omni imitatione fusque deque habita, via trita vltro decedunt, suis viribus semitam sibi fraturī, quae ad scientiarum penetralia ducat. Quodsi vel maxime ex multis, si quidem multi sunt, qui hac ratione ad eruditio- nis metam contendant, ausis suis excidunt quam plurimi, et vel in ipso nisu corruunt, vel post longos anfractus, molestias atque errores ad viam aliorum vestigiis tritam redeunt, fieri tamen potest, vt vnus et alter, ignotis callibus inerrantes, ad incognita aut ipsi perueniant, aut aliis aperiant viam, et inuen- tis nouis aliorum pensent errores. Referendus est inter erudi- tos sine cortice natantes, neque in vllius magistri iurantes verba

FRIDERICVS JOSEPHVS GVILIELMVS SCHROEDER.

Medicinae Doctore, et Professor publicus in Academia nostra, cuius mortem immaturam luget, quae per quatuordecim annos eo collega vsa est, Academia Marburgensis.

Natus erat vir eruditissimus Bilefeldae, primariae comitatus Rauensbergici ciuitate, patre GEORGIO GVILIELMO SCHROEDERO, Iurium Doctore, Praetore Regio et Consule, matre CHARLOTTA ELEONORA BIERBRAVERIA, filia JOANNIS JACOBI a consiliis metallifodinarum Wernigerodensium. Adspexit lucem d. XIX. Martii A. MDCCCXXXIII. Patre a consiliis Commissionum, quas vocant, esse iussu domicilium que mutante, intra annos infantiae cum parentibus Bilefelda Wernigerodam delatus SCHROE-

DERVS noster, quinto aetatis anno patre orbatus est, cuius  
 vicem pensauit vitricus JOANNES CHRISTOPHORVS VNZER,  
 Medicinae Doctor, artem salutarem Wernigerodae exercens,  
 frater celeberrimi VNZERI, quam in oculis fert Germania vni-  
 uersa. Litterarum rudimenta deposuit in domo vitrici, prae-  
 ceptore BIRNRODRO quodam. Septemdecim annos natus Aca-  
 demiam Halensem adiit A. MDCCCL. Inerat iuueni iam tum  
 ardor immensus, vltimas rerum rationes et principia scientia-  
 rum quarumuis absolute prima et indubitata cognoscendi, nec  
 nisi diffidenter Praeceptorum inuisit scholas, quod isti ideam  
 certae cognitionis, quam sibi informauerat mente, haudquaquam  
 repraesentare videbantur. Fastidio igitur omnis fere, quae in  
 Academiis tradebatur, scientiae laboranti nequaquam satisfacere-  
 runt viri celeberrimi, qui tum Academiam Halensem illustra-  
 runt. Metaphysica ex ore MEIERI et BAUMGARTENII scitis  
 hausta, Philosophia naturalis et Chemia interpretibus KRUEGERO  
 et LANGIO, Medicinae praecepta a BVCHNERO Mechanicorum  
 tum principe, et JUNKERO, Stahlinae sententiae propugnatore  
 tradita, veri, quod animo obuersabatur, haud expleuerunt sitim,  
 quid? quod scientiae istae, inprimis autem Medicina omnis,  
 certis verisque principiis et fundamentis solidis superstructae haud  
 videbantur. Ex isthoc tempore vitae suae omnis pependit ratio  
 ac conditio; Medicinam vniuersam incertam nec firmo sultam  
 robore arbitratus, id egit omni molimine, vt arti salutari sub-  
 ministraret subsidia sulturamque, quae in eius praeceptis et  
 pendente inde vsu ipsi videbantur deesse. Quum vir doctissimus  
 certi verique adeo anxius esset, nec difficultates vnquam elu-  
 ctaretur

claretur mens dubia ac fluctuans, miror certe, mathematicas  
 disciplinas ab eo aut plane neglectas, aut exiguis saltem petitas  
 haustibus, quarum penitior cognitione instructo facilior tra-  
 mes in abstrusa ac penetralia Physices et Medicinæ patuisset,  
 potisque fuisset, obscurissima quæuis clariore luce perfundere.  
 Sed redeundum est ad SCHROEDERI nostri vitam academicam.  
 In Anatomicis præceptore usus est BOEHMERO, in Botanicis  
 ALBERTI curæ se credidit: in addiscenda praxi medica JUN-  
 KERO plurimum se debere grata mente professus est: elegantio-  
 ribus litteris, quarum dulcedine puerilem ætatem olim imbue-  
 rat, ductu NICOLAI eximiam dedit operam, coeuntique in huius  
 aedibus litterariæ societati interfuit. Post triennium in Acade-  
 mia Halensi peractum, Erlangenses adiit Musæ A. MDCCCLIII.  
 DELIVM ac SCHMIEDELIVM V. V. A. A. artis salutaris præcepta  
 eclectica et mechanica tradentes, SVCCOVIVM V. C. Philosophiæ  
 naturalis explanantem principia, veneratus est Præceptores, nec  
 sic quidem certorum vtriusque scientiæ fundamentorum conuictus.  
 Abeunti a. MDCCCLIV. Licentiati honorem contulit ordo medicus  
 in Academia Erlangensi, post defensam præside DELIO Viro  
 summo disputationem *de Taraxaco*. Post peragratam Saxoniam  
 superiorem et tractum Hercynium redux in patriam clinicæ  
 praxi, quam dicunt, operam dare coepit. A. MDCCCLV. Cassel-  
 lis fixit domicilium, innotuitque Serenissimo Landgrauio GVI-  
 LIELMO VIII, qui ad fontes medicatos Geismarienses Medicum  
 eum agere iussit a. MDCCCLVI. In explorandas aquæ huius  
 salutaris vires obnixam infumfit operam, alcalinas et sulphureas  
 partes ei inesse demonstrans. Quæ ad augendam vtilitatem  
 aquarum

aquarum Geismariensium, promouendaque commoda iis vten-  
tium a Serenissimis Landgrauis adornata sunt, suis potissimum  
deberi consiliis prae se tulit. A. MDCCCLXII. d. XXIV. Februarii  
absenti Doctoris gradum tribuit Erlangensis Academia. Biennio  
post iubente Serenissimo Landgrauio FRIDERICO II. Medicinae  
Professor ordinarius in Academia Marburgensi constitutus secun-  
dum in ordine suo nactus est locum. Orationem inauguralem  
habuit d. XIV. Augusti a. MDCCCLXVI. disquirens, *num vita et*  
*natura Dei physica et medica cognitione quodammodo illustrari*  
*queat.* Excepit orationem eadem die disputatio, quam vocant,  
*pro loco; de quibusdam ad februm doctrinam spectantibus.*

Prouinciam sibi creditam egregie ornauit eruditione sua  
SCHROEDERVS noster. Docuit Physiologiam Pathologiam, Chemi-  
am, materiam medicam, Therapiam, Diaeticam, praecepta  
physico-medica, litteras elegantiores, omni labore annis, vt  
solida, prout ipsi videbantur, nobilissimae artis principia audito-  
rum instillaret mentibus. Id autem male habuit nonnullos eius  
auditores, SCHROEDERI nostri egregias dotes ceteroqui maximi  
facientes, quod auditionibus suis medicis praemitteret vt plu-  
rimum praecepta philosophica et physica, Philosophia scilicet et  
Physica in Academiis tradi solitis haud quaquam sibi probatis,  
qua re nimirum fiebat, vt cursui medico longius impenden-  
dum esset tempus, quam multorum res ac rationes ferrent.

Vxorem sibi iunxit SOPHIAM MAGDALENAM, filiam HVLDE-  
RICI SIGISMVNDI JORDANIS FRIDERICI Comiti Wernigerodano  
a Consiliis ecclesiasticis et concionibus sacris et CHRISTINAE

MAG.



MAGDALENÆ LANGGVTHIAE: Superfunt ex coniugio isto filii duo et filia, quorum deinceps recurret mentio.

Corporis constitutione ac temperatura haud satis firma utebatur a teneris, quo fiebat, ut leuissimis ex causis haud vniurgeretur morbis, sensim que in cachexiam delaberetur. originem ingrauescentis mali et inclinatae in deterius valetudinis inde deducas fortasse, quod vir indagandis scientiarum penetralibus intentus, totusque in rimandis naturae secretis, chemicis atque alchemicis experimentis se dederet penitus, a vaporibus noxiis sibi haud cauens, sed vas vitreis, ut sit, violentia ignis dissiliantibus exspirans inde graue virus arsenici, mercuriique hauriret improvidus. Accesserunt amarae curae varii generis, quibus omnis fere vitae iucunditas amota, animumque occupavit aegrimonia tristis, haud vnquam ab eo discessura. Sensit defectionem virium vir perspicacissimus, harum reparandarum causa anno praeterito ad acidulas pyrmontanas suscepit iter. Rediit ad nos laetiore utcumque animo, at corpore haud quam firmiore. Ex eo tempore vltima fata sibi instare ratus, exquisitissima ab arte sua adminicula petiit, quibus imminens a phthisi periculum depelleret, ita tamen ut eorum ipse diffideret viribus, sibi cum foliis arborum cadendum fore atque autumnio adulto fatale ad mortem instare tempus praedicens saepius. Exsoluerunt Numinis summi iussa SCHROEDERVM nostrum die xxvii. Octobris corporis languidi vinculis, Quod mortale fuit terrae creditum est die xxix. Octobris. Prosequutus est exsequias celeberrimi viri Magnificus Academiae nostrae Pro-

B

Rector

Rector HENRICVS ORHO DVYSING publico programme, quod hoc loco legere haut pigebit.

Quae a cladibus atque funeribus publicis tuta aliquamdiu et immunis fuit Academia Marburgensis, dum viuebant et negotia sua agitabant feliciter honorati illius proceres, haec proh dolor! nunc in gremio suo experta fuit subito mortalitatis exemplum: non quidem secundum solitam annorum mensuram, quibus singuli defuncti et defatigati sumus sed post breuius diuersimode demensum vitae humanae spatium. Obiit siquidem anno hoc *CIOIOCLXXVIII.* die *XXVII.* Octobris, hora *VIII.* matutina *Vir*, quando vixit, experientissimus et doctissimus *FRIDERICVS JOSEPHVS GVILIELMVS SCHROEDER*, Medicinae Doctor et Professor ordinarius, qui natus *Bilefeldiae* d. *XIX.* Martii *CIOIOCCXXXIII.* ex patre *GEORGIO WILHELMO*, primum Consule loci, et dein a Consiliis Commissionum, quae *Wernigerodae* comitatus *Stolbergensis* tractari solent, matre vero *CHARLOTTA ELEONORA*, filia *JOANNIS JACOBI BIERBRAVERI*, qui consiliis suis *Wernigerodae* regebat metallifodinas. Postquam dimissus ex patriis scholis in *Halensi* Academia studia tractasset indeque ab anno *CIOIOCLXVI.* apud fontes salubres *Hassiacos Hoffgeismarienses* Medici publici et ordinarii exornasset spartam, sub finem anni *CIOIOCLXIV.* vocatus Professor medicinae ordinarius in hanc nostram concessit Musarum sedem, inque ea docendo, scribendo, disputando, consulendo haud incelebrem nactus est nominis famam. Chymicis autem alchymicisque nimium intentus laboribus nervos corporis ad melancholiam procliuus nec ipsos

valde

valde robustos debilita ut ulterius, quod ipsum laesis cumprimis et exulceratis pulmonibus lentam viro attulit necem. Annus est, ex quo hoc suo laboravit morbo, quo labente decrevit per dies, usque ad ultimum, quo placide exspiravit, momentum, atque largitori vitae hanc reddere iussus est. Scripta viri probata multis memorare non vacat. Juvenis autem contraxit concubium cum lefissima virgine SOPHIA MAGDALENA nata d. III. Mart. c1010ccxxxiv. ex patre HVLDERICO SIGISMUNDO JORDANE FRIDERICI, qui Wernigerodae a sacris concionibus et consiliis ecclesiasticis erat, matre CHRISTINA MAGDALENA nata LANGGVTH. Atque ex hac uxore suscepit prolem, cuius partem unam terrae pridem mandavit iterum; partem alteram viam hodie JOANNEM HEINRICVM ERNESTVM natum d. xxviii. Martii a. c1010ccclx. JOANNEM FRIDERICVM WILHELMVM FVERCHTEGOTT natum d. xxi. Januarii a. c1010ccclxiv. cui tres postulauerat susceptores, celebres per Germaniam poëtas, quorum genium pater ipse quandoque imitari tentavit, GELLERT, KLOPSTOCK, GLEIM; JOHANNAM JACOBAM CATHARINAM MARIAM, natam d. xxvi. Decembris c1010ccclxix. Quibus omnibus bonam precari fortunam pietas iubet viduae moestissimae liberisque orbis. Patronis et amicis commendavit manes viri et hoc quidquid est monumenti in media Academia Collegae posuit huius Pro-Rector HEINRICVS OTHO DVYSING.

Publicatum Marburgi Hassorum die xxix. Octobris anni c1010ccclxxviii. quo sine omni pompa et comitatu terrae mandatum

tum fuit et ad spes meliores reconditum examine, quod anima reliquerat, corpus.

Haec Magnificus DVVSINGIVS.

Delineauimus eam vitae Schroederianae partem, quae priuata dici potest. Debemus nos noftraque reipublicae: obeunda sunt cuius huius vniuerfi ciui haud plane ignauo munia quaedam, colendum facienduquaque officium, vt quae ex ftatu ciuili ad quemuis redundant commoda, a quouis, pro virium ratione pensentur. Viuenda est igitur cuicunque vita quasi publica, laboribus in commune collatis functioneque muneris qualiscunque conspicua, quo quidem efficitur, vt vitae apud mortales actae nos haud poeniteat. Vita Professoris, quam publicam dixeris, duabus partibus videtur abfolui. Pars eius potior in auditionibus recitationibusue occupetur neceffe est: earum enim cauffa et Academiae conditae sunt et Profefiores in eas accerfuntur. Cetera cuius libet generis negotia, maximi adeo cetero quin momenti leuia exiftimanda sunt, fi cum ifthoc Profeforis munere comparantur. Hac in re ingenium et follertiam a fe defiderari haud paffus est SCHROEDERVS nofter. Solide, cordate, concinne eum artis fuae praecepta tradidiffe, alienumque ab inuidia omni cogitata inuentaue fua communicaffe, auditores, praeceptoris fui reuerentiffimi, grata mente agnofcunt. A Praxi Medica alieniore paullulum fuit animo, quod merito dolendum. Crebrior enim vſus et experientia repetita opiniones eius aut confirmaffet, aut effeciffet, vt eas defereret, quod facturum fuiſſe eo minus dubitandum eſt, quod multa  
quae

quae sibi olim vera visa fuerant, postea abiecit, opinionem que se fecerit esse factus. Altera pars vitae publicae Professorum in scriptis versatur, quibus sibi nominis immortalitatem ac memoriam, Academiae famam conciliare satagunt. Scripsit haud pauca SCHROEDERVS, docta certe, at non vsquequaque publici saporis, at singularia, at obscuriora, ea tamen quae cordato virorum doctorum examine sint digna. Sistam indicem scriptorum Schroederianorum, eo, quo lucem adspexerunt, ordine.

1. *De Taraxaco, praesertim aquae eiusdem per fermentationem paratae eximio usu.* Erlang. 1754. Praeside Henr. Frid. Delio.

Nunquam sibi, sed Praesidi, dissertationem istam vindicauit SCHROEDERVS noster. At Taraxaco plurimum semper tribuit, haud vnus generis morbis eo obuiam iri posse est arbitratus, et serio optauit, vt fermentatarum aquarum frequentior in curandis morbis esset vsus.

2. *Gedichte nebst einer kritischen Abhandlung.* Erlangen 1758.

Iuuenilia haec carmina inconsulto auctore publici iuris facta sunt. Nouam igitur emendatioremque eorum editionem parauerat, Weldigii typis sub nomine, *Elegische und andere Lieder*, vulgandam, quod consilium typographi fato ad irritum cecidit.

3. *Lyrische Elegische und Epische Poesien, nebst einer kritischen Abhandlung einiger Anmerkungen über das Natürliche*

*liche in der Dichtkunst und die Natur des Menschen.*  
Halle 1754.

Prodiit liber omisso auctoris nomine. Dissertationes praemissae agunt de eo, quod naturale est in Poësi, de poësi pingente, de poësi lyrica eiusque affectionibus, de poësi mimica. Has excipiunt odarum libri duo; Elegiae sedecim; Theodoricae, opusculi erotici profaico sermone scripti libri quinque; Batrachomachia Homeri in Germanicum sermonem translata; versiones profaicae in primis psalmorum quorundam, et nonnullorum Horatii carminum, epistolae denique, quae dissertationem de eo, quod naturale est in poësi, confirmant et emendant.

4. *De splenis usu morboque splenico ad Werlhofium Guelpherbyti 1761.*

Multa noua circa splenis usum inuenisse sibi visus est auctor: calore splenis potissimum cibos resolui, misceri coqui, a stomacho arceri putredinem arbitratur. Ponit praeterea principium vniuersale, casu cognitum, at assidua meditatione sibi probatum, cui omnes fere naturae operationes referendae sint, *expansionem* scilicet motus, vitae, caloris, luminis et resolutionis omnis effectricem. In mortis hypochondriacis, splenicis, pendentibusque a crassitudine sanguinis locum esse tantum medicaminibus expandentibus, ab aliis omnibus frustra expectari auxilium.

5. *Von der physikalischen Theorie der Empfindungen, Schmerzen und schmerzstillenden Mittel an den Herrn Professor Eberhard. Quedlinburg 1764.*

Agitur

Agitur in hoc libello de natura doloris, cuius originem non a tensione ac diruptione neruorum, neque a solutione continui, aut coaceruatione humorum deducit, sed a frictione neruorum diuturna et immediata, qua cessante dolor ipse remittat. Promittit medicamina, quibus dolores placandi, e quibus eminet puluis pyrius sacculo inclusus, maceratus viro adusto mox comburendo. Sacculo hoc dentibus imposito dolorem continuo pelli, nec minorem eius vim esse in colicis spasmsisque sumit, tum vero non vino adusto, sed oleis vini et cajaputi posteremandis macerandum, imponendumque stomacho. Vt vero dies diem docet, ita secundis curis multa condemnavit auctor, quae in libro isthoc propugnauerat. v. c. elasticitatem oriri a corporibus mollibus et fluidis aëris et aquae: nihil sine diruptione tendi posse praeter elastica. ortum doloris ac sensationis per experientiam patere: sensibus percipi, neruos teneros quidem, at non liquidos esse: animae sensorium et sedem esse in systemate neruio: resolutionem sanguinis non nisi a neruis pendere: totum systema neruorum pendere a neruis cordis.

6. *De menstruo vniuersali et fluidorum motu intestino adhaerente et resolvente. Marburgi 1764.*

Post aduentum suum in Academiam Marburgensem recitationes hibernas programmate isto indixit auctor. Menstruum istud vniuersale nequaquam corporeum SCHROEDERO nostro videtur, quando quidem haud detur corpus, quod omnibus corporibus sit homogeneous. Est igitur vis monadica, ignea forsan aut aetherea, ex qua omnis deriuanda solutio. Quod autem  
monas

monas non sine intermedio agere potest in terrestria resistentia, medium sit oportet, quod cohaereat vtrisque, fluidum, vtrisque homogenum et monadicum et compositum simul, cohaerens monadicum. Deducuntur inde leges mistionis, solutionis, adhaesionis. Sequentibus annis mentem autem mutavit et medium istud vtrisque homogenum reiecit, aliasque opiniones condempnavit, quas foverat. v. c. ex adhaerente et resistente fieri elementum chemicum: omne elementum chemicum esse vel mercuriale fluidum, vel durum salinum, vel neutrum sulphureum: si ex pluribus adhaerentibus vna compacta materia sustentetur fluidum mercuriale esse menstruum reliquorum: vim adhaerentem et irritabilitatem semper vnum idemque esse.

7. *Psalmen und Threnodien. Erster Buch als Manuscript für Freunde* 1764.

8. *Physikalische Abhandlung von der Natur der Erdschen in der Koerperwelt, des Zusammenhanges seiner Theile, und dem daher entstehenden Begriff der Schwere.*

Inserta est haec dissertatio relationibus Marburgensibus, quas vocant *Intelligentias* a. 1765. n. 2. 3. Gravitationem partium terrenarum ab aethere seu lumine caelesti ortum trahere autumat, quod comprimat omnia subcaelo, non sua quidem gravitate, qua plane careat, sed vi quadam extensua nobis haud cognita. Nec tamen haec sententia semper auctori arrisit, siquidem postea gravitatem aetheri tribuit, vim quoque expandentem et comprimentem eius negasse videtur.

9. Von



9. *Von der Tödlichkeit des Aderlassens in den aufloesenden gefaehrlichen besonders in den hitzigen Krankheiten.* (Relat. Marburg. a. 1765. n. 3. 4.)

10. *Dialogische Anmerkungen über das Wassertrinken* (Relat. Marburg. a. 1765. n. 4.)

Nimio aquae potu crassiozem sanguinem oriri sumit auctor.

11. *Kritiken über die Gedichte der Frau Karshin.* (Relat. Marburg. a. 1765. n. 5. 6.)

12. *Von der Fürtreflichkeit des Punschtranks* (Relat. Marburg. a. 1765. n. 6.)

Vfus medicus huius potus commendatur.

In iisdem relationibus Marburgensibus a. 1765. n. 8. 9.

10. 12. 14. 19. 52. a. 1766. n. I. alia quaedam SCHROEDERI nostri, at minoris momenti, occurrunt, quibus haud immorabimur.

13. *Daß das Wesen der Menschen in der Groesse ihres Herzens gesucht werden müsse. Eine Rede am Johannistage in der Loge zu den drey Loewen oeffentlich abgelesen von dem Bruder Redner. Marburg 1765.*

14. *Psalmen und Threnodien zweites Buch, herausgegeben von M. J. N. Seip. Rinteln 1766. Quum in Bibliotheca vniuersali Berolinensi carmina ista acrem censuram experirentur, prodiit apologia 1769. sub titulo; Schreiben an Hrn. Lessing, die allgemeine teutsche Bibliothek betreffend,*

C

quam

quam multi foetum SCHROEDERI nostri existimarunt, ast certe iniuria, debetur enim LAMPPIO et BANGIO amicis SCHROEDERI.

15. *Quaedam ad februm doctrinam spectantia; dissertatio pro loco Resp. Henr. Ge. Marshall. Marb. 1766.*

Non de febribus tantum, sed de morbis generatim exponit auctor, medicamen antifebrile praesentissimum iudicat sulphur crudum, siquidem cortex peruianus eiusque extractum per acetum unice conficiendum noceat, vbicunque magna euacuatio fieri debeat.

16. *Beweis, daß Wohlthaetigkeit und Tugend nach ihrem hohen und reinsten Ursprunge nicht vom Eigennutze und Selbstliebe abstammen. Eine Preischrift, welche in der Jenaischen teutschen Gesellschaft 1768. das Accessit erhalten.*

An haec dissertatio lucem adspexerit, mihi incompertum est. Sunt tamen, quae faciunt, vt dubitem.

17. *De obstructione vasorum et morbis ab ea pendentibus. Diff. pro gradu Ern. Alex. Bock. Marburg. 1769.*

Ex auctoris sententia obstructio vera consistit in arteriosi cuiusdam vasis abolitione a corpore non amplius fluido ibidem haerente, vnde octo congestionum species sulphureis medicaminibus compescendae ac tollendae enarrantur,

18. 19. *De vitae robore, tono et vitalitate, nec non de medicamentis roborantibus, seu vitae balsamicis, confortantibus, tonicis, veris et polychrestis praesidiis. Dissertationes duae, altera Resp. Henr. Ge. Marschall. altera Resp. Jo. Ge. Wendelstadt. Marburg. 1771.*

Summa animi contentione aduersarios refellit auctor, quorum alii vitam animalem omnem ex motu principiante, alii ex motu fluidorum et sanguinis progressiuo, alii ex intestino motu fluidorum non destruyente sed resolvente et conseruante cum perspiratione et bona mixtione fluida, alii ex neruis eorumque sensualitate, alii ex musculorum vi et actione perdurante, alii ex vi et pulsu cordis et arteriarum, alii ex respiratione aëris, alii ex principio quodam aethereo et luminoso, alii ex calore vitali, alii denique ex anima eiusque energia deriuant. His reiectis, deprehendisse sibi videtur fundamentum vitae in principio expandente et phlogistico simplicissimo et immateriali, quod lucem et calorem efficiat. Explicat ex isto neruorum motum sensationemque cum repraesentatione, motum musculorum, sanguinis pulsum et circulum, respirationem, calorem vitalem, ipsum animae vinculum, roburque vitale. Recenset denique medicamina, quibus robur vitae conseruatur, sulphureum purius autem medicamentum vniuersale et ad vitam prolongandam idoneum ipsi videtur. Sunt tamen et hic, de quibus sequente tempore aliter visum auctori. v. c. vim motus ad vitam animalem pertinentis fluidam esse, — elastica vi accreta augeri cohesionem glutinis et mollioris corporis sulphurei ad contractionem

et turgescentiam vsque — elementum sulphureum totius naturae animalis primum elementum esse — spiritus animales ex halitu sanguinis vitali oriundos, licet formam halitus amiserint, nunc fluidi facti — aliaque nonnulla postea negauit.

20. *Neue Alchymistische Bibliothek für die Naturkundiger unsers Jahrhunderts ausgefucht. Erster Band. Frankfurt und Leipzig 1772.*

Volumen istud duas collectiones scriptorum alchemicorum continet. Priore continentur 1. Edmundi Dickinsoni epistola ad Theodorum Mundanum de arte faciendi auri seu de quinta essentia Philosophorum ex latino germanice versa. Interpretis nomen littera D. tantum indicatur. 2. Theodori Mundani responsio ex latino versa. 3. R. E. I. D. Elias Artista, dissertatio de transmutatione metallorum artificiali. Collectio altera exhibet 1. Sebaldi Schwarzer artem transmutandi metalli. 2. Ferrarii dissertationem chemicam ad Pontificem maximum, olim a. 1647. Geismariae editam a D. Ludouico Combach. 3. de initiis naturae et artis chemicæ auctore anonymo.

21. *De modo quo venena et medicamenta salutaria agunt. Dissert. pro gradu Phil. Jac. Piderit. Marburg 1773.*

Docet auctor, esse inter alimenta hominum, quae ad venena referas v. c. omnes fungorum species: venena ipsa autem sapienter adhibita in curandis morbis magnam vim nonnunquam exserere v. c. cicutam, mercurium sublimatum, arsenicum, veratrum etc. Prono inde fluere videtur alueo, diuersitatem, quae

quae inter alimenta, medicamenta, et venena est, consistere in maiore minoreue homogeneitate et heterogeneitate cum succis et sanguine: respectiue tantum venena igitur esse definienda. Tum per partes ostenditur, venena acria corrosiua sanguinis circulum accelerare atque augere: eandem et narcoticorum vim esse: oriri inde febrim salutarem, quae et in aliis morbis, apoplexia, obstructionibus viscerum &c. singularem praestet virtutem, defendatque a grauioribus letalibusue morbis aegrotos.

22. *De meliore methodo curationis per aquas minerales. Marburgi 1774.*

Scripta est haec recitatio in gratiam exterorum quorundam in itinere ad aquas Pyrmontanas Marburgum inuisentium. Transtulit eam in germanicam linguam a. 1778. *Jo. Conr. Wendelstadt* Medicinae Licentiat. Reiiicit auctor consuetam fontibus medicatis vtendi methodum, siquidem vis ac virtus eorum haudquaquam a partibus aquae immanentibus, quas vocant, pendeat, sed a solo spiritu aethereo minerali ex aqua euaporante. Bibendos igitur, post purgatas primas vias, fontes medicatos, non nisi pro ratione sitis, omnibus diei annue temporibus: sufficere vt plurimum in diem quatuor librarum pondus: exercitationem corporis necessariam: de cibis vel diaeta haud anquirendum anxie, vinum tamen modice bibendum.

23. *Theses medicae de temperamentis hominum ita dictis et aliae. Diss. pro gradu Jo. Petr. Schotte. Marburg. 1774.*

Temperamentum varia sanguinis compositi materia ac mixture, et vario materiaram praedominio niti docet auctor. Tri-

placem autem sanguinis dari materiam et compositionem, prout in sanguine cruor sulphureus pinguis cum oleo suo, aut phlegma ferofolymphaticum, aut spiritus ficcus halituosus se prodat ac praedominetur. Ponit igitur tria temperamenta, plethoricum, phlegmaticum, spirituosum. Quoduis diuiditur bifariam. Ad plethoricum pertinet sanguineum et melancholicum. Phlegmaticum complectitur suaue seu blandum, et phlegmaticum proprie dictum. ad spirituosum referenda cholericum et athleticum.

24. *Von den Wirkungen der Eichel, Verstopfungen der Drüsen im menschlichen Koerper aufzuloesen, in einem Schreiben an Hr. Prof. Baldinger in Goettingen. Goetting. und Gotha 1774.*

Circumspexerat satis diu SCHROEDERVS noster medicamina, quae glandulas obstructas resolverent, subministrant robur resolutis. Vtebatur primum eam in rem ferro caustico, quod dehinc sulphure miscuit, modo mercurialimodo gummoso. Compescuit id quidem podagram, at ad glandes resoluendas nimis efficax visum. Ascendit tandem cogitatione ad glandes quercuum, virium iis insitarum experimentum cepit, eorumque vsu morbum istum pelli deprehendit. Glandes scilicet, cortice seu pelliculis exutae, in duas partes diuiduntur, siccantur, torrentur, conteruntur in puluerem. Maceratur quouis die semuncia huius pulueris aqua calida, liquor filtro percolatur, percolatus denuo coquitur, tum bibitur. Ne vero frequentiore vsu oboriatur nausea, sicilicus Caffaeae cum puluere commiscendus. Sanauit medicamine hocce atrophiam, scabiem, arthritin, luem veneream, hypochondriam. Suadet vsum eius in tussi phtifica, fungis articulorum, febris quar-

tana,

tana, struma, gangraena etc. Eam vero sententiam mutauit, sudorem glandium vsu necessario exprimi. Arrisit aliis medicis inuentum SCHROEDERI. M. J. MARX Medicus Hanoueranus efficaciam eius duobus comprobauit exemplis, (Intelligent. Hanouer. a. 1774. n. 103.) SIM. HENR. AD. KEISER, Medicus Detmoldensis, edidit; *Unterricht von dem Nutzen und besonderer Heilungskraft der Eicheln in Absicht auf die Doerrsucht oder Auszehrung der Kinder. Lemgow 1775.* refertque historiam infantis ope huius potus sanati. Alios autem medicos glandes istas irritato euentu in auxilium aduocasse, me legere memini.

25. *Neue Alchymistische Bibliothek für den Naturkündiger unsers Jahrhunderts ausgefucht. Zweiter Band. Frankf. und Leipzig 1774.*

Duae collectiones scriptorum hoc volumine continentur: Prior exhibet 1. Gabr. Clauderi dissertationem de lapide vniuersali: refellit simul Athan. Kircherus de lapidis Philosophorum existentia dubitans. 2. Claudii Germani imaginem Philosophiae arcanae 3. veram doctrinam Philosophiae de gignendis metallis. 4. de arcana Philosophia Chemicorum ligato sermone.

Posteriori collectioni insunt 1. Iosephi Westphali diff. de tinctura auri ex metallis. 2. Petrus de Zalento de artificio metallico sapientum. 3. Rogerii Baconi speculum Alchemicum. 4. Avicenna de lapide minerali. 5. Eiusdem explicatio lapidis physici.

26. *Die völlig eröffnete Alchemie oder höhere Naturwissenschaft in einer deutlichen Anweisung als ein Anhang der neuen Alchemistischen Bibliothek. Cassel 1774.*

Interiora

Interiora naturae sine Alchemiae cognitione nemini patere aut peruia esse, docet auctor, quod sublimior chemia cognitione primorum naturae elementorum, inprimis ignis, eiusque ad naturam applicatione abfoluatur. Proponit deinde decem quaestiones ad Chemiam sublimiorem facientes, et responsiones subiungit.

27. *Demokritus ein Fragment aus der Geschichte der Abderiten.* (Baldingers Magazin der Aerzte P. I. a. 1775.)

Praemittit praefationem SCHROEDERVS, qua Chemiam immensum quantum Democrito debere docet, et de Chemicorum Synesii et Zosimi aetate disputat. Fragmentum ipsum stultitiam Democriti ab Abderitis creditam, euocatum ad sanandum hoc malum Hippocratem, amborumque colloquia narrat.

28. *Von den Salzen und deren arzneylischen Wirkungen, wobey besonders von einer wahren Fixation des Salpeters oder der Säure und von der Verflüchtigung des Alkali gehandelt wird.* (Baldingers Magazin für Aerzte p. 195.)

Recenset auctor varia genera salium, eorumque explicat naturam: fixationem nitri mixtis nitri depurati parte vna, et tribus partibus calcis viuae fieri ostendit. Addit tandem vsum medicum salium. Nonnullos tamen et in hac dissertatione sibi obrepisse errores fassus est auctor. v. c. aërem nihil proprii in se habere sine aethere, igne, aqua, terra — principium salinum fundamentum esse rerum omnium corporearum — omnem Mercurium esse aquosum et pinguem.

29. The-



29. *Therapia generalis de pinguium, sulphuris et mercurialium usu in Medicina.* Diss. pro gradu Ford. Eman. Israel 1775.

Pinguedo SCHROEDERO est corpus elementare subtilissimum, ex igne cum motu et globositate constans, ortum ex salibus femipinguibus, Effectum in re medica confortantem et excitantem tribuere videtur pinguibus. Sulphuri, praecipue minerali, maximam vim adsignat in resoluendo muco: in febribus praeterea omnibus, acutis adeo, morbis diuturnis, tussisque conuulsua ab eo solo expectandum esse auxilium. Gummosi vaporis efficaciam, et terram pinguem metallicam praesertim in ferro maxime roborantem depraedicat.

30. *Neue Sammlung der Bibliothek für die höhere Naturwissenschaft und Chemie.* Marburg 1775. Erster Band.

Continentur isthoc volumine 1. *Boerhauii apologia Alchemiae* ex latino versa, cui animaduersiones subinde adspersit SCHROEDERVS. 2. *SCHROEDERI nostri Geschichte der ältesten Chemie und Philosophie, oder sogenannten Philosophie der Aegyptier.* Aduersus Conringium satis acriter pro Borrichio disputat: tum antiquitatem Alchemiae eiusque usum apud Aegyptios it demonstratum. Verum imparatior a criticae artis et historiae praesidiis in hanc arenam descendisse videtur. Hermetis esse, qui sub eius nomine feruntur, libros sumit, nec de Sanchoniathone dubitat, quid? quod Henochi librum spurium pro vero venditat, eiusque fide angelos Chemiae dicit auctores: Noachum, Osiridem, Mosem Chemicos fuisse contendit, arte hac ab Aegyptiis summo studio nunquam non exulta, et arcanae sapientiae insignita

D

nomi-

nomine. Hermetem Aegyptium priorem in Abrahamo se deprehendisse autumat, alterum in Iosepho. Floruisse apud Aegyptios diuinam quandam Magiam interiore commercio cum Deo et angelis nixam, Prophetis Aegyptiorum familiarem, in quorum schola Moses sit educatus. Sacerdotibus ad eum perfectionis gradum haud patuisse aditum, spirituum tamen ac mortuorum euocandorum gauisos potestate. In primis Aegyptios calluisse Physicae secreta, Chemicam sublimiorem, Medicinam vniuersalem, metallurgiam, et lapidis Philosophorum conficiendi rationem. Aureum vellus Colchicum, quod fabulae loquuntur, de lapide Philosophorum explicat: et celebri illo Vrim et Thummim non nisi artificium chemicum designari sumit. Ab Aegyptiis mysteria ista ad Persas, Graecos, et Romanos propagata sunt, quae pessunderunt Diocletianus et Theodosius Magnus Imperatores, restituit quodammodo Theophrastus Paracelsus. 3. Fragmenta Hieroglyphica Democriti, seu Commentarius Synesi in Democriti libros de tinctura auri atque argenti. Ex Graeco germanice vertit SCHROEDERVS, et obseruationibus illustrauit. 4. *Friderici von Braun künstlicher und dabey sehr wohlfeiler Dünger.* Addidit SCHROEDERVS obseruationes, et in praefatione ex niue autumnali terris immorante nec statim discussa fertilitates agrorum elicit. 5. *Spiegel der Menschen und Weizenbäumen der Alchemey entworfen in einem Gespräche zwischen Vater und Sohn von einem ehemaligen alten Bruder des goldenen Rosenkreuzes in Teutschland.* 6. *Paul Steiners Kennnitz, oder Chemischer Steinbruch.* 7. *Kurzgefaßte Anmerkungen (Schroederi) über*

über Hr. Wenzels Einleitung zur sichern Chemie und Grundauf-  
lösung der Körper.

31. *Neue Sammlung der Bibliothec für die höhere Naturwissen-  
schaft und Chemie, zweyter Band. Marb. und Leipzig 1776.*

Continentur isto volumine 1. *Auszug aus den Begebenheiten  
eines Philosophen zu Erklärung des Philosophischen Steins cum  
obseruationibus SCHROEDERI.* 2. *Des Arabers Abdallah Jurain  
Varkadamia oder Goldkunst im Philosophischen Steine: Commen-  
tatus est SCHROEDERVS.* 3. *Ad. Gottl. Berlichs Abhandlung von  
der allgemeinen Arzney nebst einem Anhang gleichen Inhalts von  
Montesnyders. SCHROEDERO commentatore.* 4. *Fr. Jos. Guil.  
Schroeders sieben arzneyliche Abhandlungen aus der Alchemie  
von deren Nutzen und Grundanfängen vom Salz und  
von den Fettigkeiten der Körper.*

Praefatus est SCHROEDERVS de Alchemia auro facienda  
intenta, seque arcana publicaturum pollicetur nemini mortalium  
cognita. Orta inter Auctorem et bibliopolam dissensione qua-  
dam, Schroederianum istarum dissertationum initium tantum  
typis exscriptum et alterum hoc Bibliothecae Chemicae volumen  
mancum mutilumue est.

32. *Medicina flatuum, morborumque inde pullulantium, in specie  
trium, quorum caussa a medicis adhuc praeteruisa fuit et  
cura, lumbaginis sic dictae haemorrhoidalis, asthmatis  
conuulsui et stranguriae. Diss. pro gradu, Jos. Speyer.  
Marb. 1776.*

Morborum istorum ortum flatibus tribuendum esse docet auctor. Lumbaginem limatura ferri pelli affirmat, asthma aqua Taraxaci, armoracii decocto et baccis iuniperi.

33. *Nova carbunculorum, variolarum et morbillorum inuenienda ratio. Diss. pro gradu Jos. Schreiner. Marburg. 1776.*

Hanc quoque dissertationem a. 1778. germanica veste donauit Joannes Conradus Wendelstadt Medicinæ Licentiatus. Variolas veteribus cognitæ cum Jo. Gottfr. Hahnio contendit auctor. Originem carbunculorum cuiusuis generis sibi deprehendisse videtur in constrictioris cutis propria quadam sebacea et densa impuritate, nec malo isto infantes affectum iri autumat, si statim post partum a crinonibus omnique impuritate perfecte purgentur, tum enim carbunculorum quemuis morbum, amota propria ad malignitatem dispositione in cute, nec letalem esse nec periculosum. Nulla igitur opus esse insitione, quæ potius publica auctoritate interdicens ipsi videtur. Ipsum morbum autem penitus fere extinguere posse, infantibus recens natis perfecte purgatis, et butyro pinguedineque lotis. Aduersus ipsum carbunculorum morbum a solo sulphure puriore auxilium expectat.

34. *De Anapnoë et remediis morborum anapnoicis. Diss. pro gradu Jo. Kleinhans. Marb. 1776.*

Leges causasque respirationis a nemine, ne ab Hallero quidem perspectas ponens auctor, docet anapnoën esse munus pulmonum, et materiam, quæ eicitur, animam et vaporem pulmonalem, a vaporis insensibilis egestionem probe distinguendum.

dum. Ex vehementiore anapnoë praeternaturali oriri febrim ardentem, et intermissa aut retenta anapnoë singulare phthiſeos genus, pulmonum pituitam et peripneumoniae genus peculiare. Recensentur tandem media anapnoica magno numero.

35. *De Alchemia Medicinae necessaria et Medicamento Chemicorum Panchresto. Diss. pro gradu Henr. Ferd. Hoepfner. Marb. 1776.*

Alchemia ex mente auctoris est cognitio transmutationum in corporibus, quae fiunt attenuatione terrenarum partium et radicali solutione, quae potissimum igne elementari corporum et interno perficitur. Dispescit eam in theoreticam seu physicam et practicam seu chemicam. Elementa, operationes, fines recenset, imprimis Alchemiae practicae habitum ad Medicinam, eiusque partes Physiologiam, Pathologiam, Therapiam luculenter docet. Tum alchemica medicamina explicantur, vulgaribus chemicis longe praestantia. Sumit tandem SCHROEDERVS, Alchemia duce inueniri pararique posse panaceam ad sanandos morbos quoscumque idoneam, acriterque in negantes inuehitur, quos stultos identidem vocat. Panaceam istam seu Panchreston in solo Sophorum lapide existere arbitratur, cuius conficiendi tres rationes viasque pandit.

36. *Pfalmen und Threnodien dritter Theil. Gotha 1777.*

Nouam editionem eamque longe emendatiorem adornauerat SCHROEDERVS noster omnium Psalmorum ac Threnodiarum, quae tribus libris prodierant, cui consilio mors anteuertit.

37. *Ursache des plötzlichen Sterbens einer einzelnen Heerde Schweine zu Marburg. (Intellig. Marburg. a. 1777. n. 23.)*

Luem, qua grex porcorum subito peribat, ex humore nociuo seu erysiphe (Meelthau) deriuat, qui pridie, se inspectante, herbis illapsus fit, easque infecerit. Continere hunc humorem oua innumera insectorum, oriri ex illis vermiculos, muicisque, qua ratione herbas periculis ab humore hoc imminentibus liberari necesse fit. At in loco, quo pastum actae fues, paucis ante diebus sal sparsum esse ab ouibus lambendum. Oua insectorum huic illapsa, solis acretudine correpta emortuaque confusisque salinis mercurialibusque ouorum partibus venenum nocentissimum ortum esse, olei tamen lactisque largo vsu mortem suam auerti potuisse.

Haec sunt, quae Vir celeberrimus publici iuris fecerat. Delitescunt in scriniis eius alia partim affecta, partim paene profligata. Vulgavit scilicet a. 1777. *J. C. Wiegleb* vir clarissimus Disquisitionem Alchemiae historico criticam, artemque imaginariam conficiendi auri ridet. Accinxit se ad defensionem dilectissimae artis, sed quam orsus est telam morte praeuentus pertexere haud potuit noster. Dissertationes duae, altera de *motu animalis veris causis et stimulis, eorumque vera natura et differentiis*, altera de *vesicatoriorum vsu abrogando et meliore eiusdem indolis praesidio*, secundas etiam curas poscunt, typis nondum impressae, licet in *Meuselii V. C. Germania litterata* inter edita SCHROEDERI scripta occurrant.

Quis

Quis quantusue SCHROEDERVS fuerit, ex imagine hac, cuius lineas, amicitia odioque procul habitis, ex vero duxi, aequi harum rerum arbitri nullo sunt perspecturi negotio. Academiae nostrae certe vtilitatis insignes praebuit fructus. Vt igitur auditores mortem eius lacrimis, grati animi indicibus, prosequantur, ita inter ornamenta sua referet, commendatamque sibi habebit memoriam SCHROEDERI ACADEMIA NOSTRA.



OK 11 20 2017

X 30743.17

21





Ar. 527, 1.

B. 1. n. 7

In  
9097

MEMORIA  
FRIDERICI  
JOSEPHI GVILIELMI  
SCHROEDERI

MEDICINAE DOCTORIS ET PROFESSORIS PVBLICI  
ORDINARIU IN ACADEMIA MARBVRGENSI.

IVSSV ACADEMIAE MARBVRGENSIS

SCRIPSIT

MICH. CONR. CVRTIVS

SERENISS. HASS, LANDGR. A CONSIL. HISTOR. ELOQ. ET POES.  
P. P. O.



MARBVRGI  
TYPIS JOANNIS BAYRHOFFERI MDCCLXXVIII.

